

Hermann Schuckmann

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Hermannus Schuckman,  
Theol. D. & Professor. Ad Exequias Quas Filiolae dilectissimae Eleganti puellae  
Christinae Lafrenssen/ Parentes moestissimi, hodierna prima paratas cupiunt,  
Academiae Cives peramanter invitat ...**

Rostochii: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771916930>


Druck Freier  Zugang



Schuckman, H.  
in  
**Chr. Lafrens.**  
Rostock, 1647.

33
















PROGRAMMA

117.

Quo

RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
HERMANNUS SCHUCKMAN,

Theol. D. & Professor.

*Ad Exequias*

Quas

Filiolæ dilectissimæ

Eleganti puellæ

CHRISTINÆ

CAROLINÆ

*ictu globuli  
prostrata*

Parentes moestissimi hodiernâ primâ  
paratas cupiunt,

*Academia Cives peramanter invitat.*

Conventus fiet in templo vicino Jacobæo.




ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLVII.

33





**N**on equidem cogitare potui, *Cives Academiae*, vergente Magistratu me repetiturum, quod sub initio optimis & liberorum amantibus parentibus Dn. MICHAELI *Lafrensen*/ ejusq; Conjugi dilectissimæ JOHANNÆ *Bachmeisters*/ amicis nobis colendis, præstare debbam, humanitatis officium, indicendo nunc alterâ vice funus, eisdem, quibus antè, ædibus effe-  
rendum; nec potuerunt Parentes cogitare mœstissimi, sibi adversam usq; adeò sortem fore, si dicendum ità est, ut trimestri spacio duobus felicis Conjugii pignoribus, utriq; proli fœminæ, SOPHIÆ & CHRISTINÆ, *illi*, cum diem suum obiret, quinq; menses, *huic* totidem, & quod excurrit, annos natæ, parare exequias (quo cum animorum mœrore id fiat, colligere facile est) necessum haberent. Minus verò crediderant, sibi & suffrictum iri vix obductam cicatricem, & nova insuper inflictum, prioribus graviora & funesta magis vulnera, obveniente aliquo non communi, sed inopinato prorsus ac lamentabili fato. Æquiori enim mente ferendum parentibus videtur, tenellam infantem & fari  
nesci-



nesciam, postquam cū morbo veluti mortis prodromo atq; prænuncio colluctata aliquandiu fuit, attenuatis paulatim & consumptis naturæ viribus, velut lychnum extinctam amisisse; quam elegantem puellam, probè, quoad ætas tulit, educatam, quæ sano corpore & integris viribus domo exiit, improvise eoq; lethali ac tristifico casu humum repentè prostratam, indeq; manib<sup>o</sup> accurrentium miserè sublatam, exanimem propemodum ac semimortuam recipere, & sic receptam paucis horis post expirantem animulam contueri. Verum enimverò non nostræ sunt illæ, quæ Dei nostri cogitationes sunt, quippè omnium hominum conceptibus longè altiores, & infinitis modis eminentiores, atq; est supremi cœli & imæ telluris distantia; quin ipsis etiam cœlorum cœlis superiores. Quales autem cogitationes Deo nostro, tales viæ ejus. Et is sanè, cum quæ ad vitam temporalem spectant, res actionesquæ humanas, tum ea quæ circà mortem versantur, mirificè ac prout vult, disponit, ceu vitæ necisq; Dominus. Omnibus quidem, quotquot homines nati sunt, mori propositum est, & eadem moriendi necessitas singulis incumbit, sed non est perinde idem omnibus ad mortem gressus, non idem omnes mortis genus expectat. Alium domi Deus, alium foris vitam claudere



jubet. Illum lento, hunc subitaneo, insperato illum, hunc præviso, naturali alium & placido, alium violento letho, illum ægritudine præviâ, hunc citrà sensum diuturnioris doloris corpore sanum ac sospitem corripit. Alium luctifico casu correptum, ut ipsi & reliquis cum ipso occasionem resipiscendi & mores emendandi præbeat, solâ misericordiâ ducto in lectum coniecit, alium justus Judex eodem & loci vestigio & temporis, atq; primò statim momento tollit. Uni gratiam largitur, ut mente ad extremum usq; halitum salvâ & incorruptâ discedat, alterum mente motum nec redeuntem ad se, rebus mortalium in ipso vesaniæ paroxysmo eximit. Et quis nostrum omnes mortalitatis casus, omnesq; qui ad mortem tendunt, gradus recensere; ne dicam investigare omnium illorum rationes & causas, potis est? Sistatur hic intellectus finitus, atq; hæc & alia, quæ assequi nequit, ad occulta illa & impervestigabilia Dei judicia referat oportet. In horum scrutinium si vel maximè, quisquis etiam fueris, cunctos sapientiæ tuæ nervos impendas, nihil omninò venaberis, nec, quò minus agat divina voluntas quod volet, quicquam effeceris. Mirari te abscondita Dei judicia, non rimari; Submittere te iis, quod satiùs est, non reluctari decet. Neq; enim patietur immensus deus

mo-



modum sibi & media præscribi, quibus ærumno-  
sæ vitæ ergastulo te solvat. Liberè operatur,  
quicquid operatur, nec quærere tibi licet, quid  
causæ illum moveat, & quam obrem te tuosq; vi-  
sificaturus hanc viam eligat, illam negligat. La-  
tent Judicia Domini, latet hora & genus mor-  
tis, ut timeas eum omni loco & tempore, penes  
quem vitæ mortisq; potestas est. Cave autem, ubi  
videris admirandam præpotentis Dei dispositio-  
nem, & vel pios piorumq; liberos luctuosâ ac in-  
speratâ morte oppressos audieris, illicò indè of-  
fensi Numinis iram colligas, & vindicem ejus hoc  
est advertentē in cōmissa peccata dexterâ elicias.  
Vulgi judicium si hic poscemus, nihil ille cla-  
mabit, nisi ulcionem, quam debuerit Deus deli-  
ctis enormibus. Ità mundi progenies felicem sæ-  
pè beatumq; prædicat & ad cœlos evehit quem-  
piam naturali morte extinctum, quem veriùs  
fortè inter infernales furias versari dixeris: Ali-  
um contra puniri ob iniquitates admittas censet,  
quem cœlestis pater citò & improvisò, ne diu  
multumq; in terris crucietur, emigrare facit. Sed  
apage insulsa ista & sinè discrimine concepta ra-  
tiocinia! Adversum his est divini verbi judicium  
suis etiam exemplis confirmatum. Servatori  
cum nunciaretur, Pilatum Galilæorum quorum-  
dam sanguinem hostiis admiscuisse, respondit:

A 3

Nolite



Nolite putare, quod Galilaei hi, & octo decim illi, quos  
obruit turris Siloam, soli, præter alios, peccatores fuerint;  
Imò vos, nisi penitentiam egeritis, similiter peribitis.  
Fatemur quidem, non posse eos, qui nequiter vi-  
vunt, nec toties admoniti mores corrigunt, gra-  
viores nequitiae poenas hic dare, quam ubi repen-  
tinâ & inopinatâ clade in ferventi malorum ope-  
rum exercitio securi & impoenitentes inter vi-  
vos esse desinunt. Secus agitur cum piis piorum-  
que liberis: His, quia Deum reverentur, & suos  
assiduis precibus divinæ tutelæ committunt,  
*omnia, teste scripturâ s. in bonum cooperantur.* Posi-  
tis *omnibus* nihil excluditur, nec ab omnibus istis  
excipiuntur infortunia, si quæ forte fidelibus ac-  
cidunt, ut ut tragica & terrica mundo visa: Usq;  
adeò diversa sunt Dei & hominum judicia. Ad pa-  
rentes piè defunctæ mœstissimos nos vertimus  
uisq; ut par est solatium dicimus. Graviter denuò  
& multò, quam antè, gravius lacerata nunc esse  
ipsum pectora, id verò est quòd negari nequit.  
Sed quid porrò? Dei facta voluntas est, sine quâ  
ne unus quidem capillus è capite nostro decidit.  
Hanc ut semper sic & hoc casu paternam adeoq;  
optimam judicabunt, scientes patientiam suam  
fidem & constantiam insigniter jam à DEO  
exerceri. Mitius enim cum tolerari poterat SO-  
PHIÆ obitus, pergit sapientissimus Deus &  
crucem



crucem exasperat, recipiendo ad se CHRIS-  
TINAM quoq; , sed inopinato & flebili casu, exper-  
turus eo modo, num & hic Christianū uterq; pa-  
rens se probare possit. In hanc rem propositam  
iis uno verbo cupimus, notam S. Jobi historiam,  
cujus intuitu finem dolori statuent, Genealo-  
giam beatæ animulæ, quamlibet cum priore fu-  
nere traditam, breviter repetitam attextemus.  
Nata est piè defuncta puella CHRISTINA  
Rostochi Anno 1641. die 9. Octobris; Patre, quem  
initio nominavimus, Viro spectatissimo DN.  
MICHAELE Lafrensen/ Senatore hujus Urbis &  
Judicii Inferioris administratore prudentissimo;  
Matre honestissimâ & ornatissimâ Fœminâ  
quam& ipsam suprâ diximus, JOHANNA Back-  
meisters. Avum paternum habuit MICHAEL  
Lafrensen/ Civem olim, & Cerevisiarium,  
in hac civitate industrium, Aviam paternam Elisabethen Schmiedes. Avum maternum, p. m. Virum  
Clarif. & Experientif. DN. JOHANNEM BACK-  
MEISTERUM Medicinæ Doct. & Academiæ  
hujus Professorem publicum, cui parens fuit  
beatæ memoriæ DN. LUCAS BACKMEISTERUS,  
Theol. D. Professor & Superintendens;  
(Hic ut optimè de Universitate & Ecclesiis no-  
stris vivus meruit, sic triste sui desiderium mor-  
tuis reliquit) Aviam maternam habuit CHRIS-  
STINAM



STINAM *Cassen*/JACOBI *Cassen* Civis olim &  
Mercatoris apud nos honesti filiam. Ità nata &  
per Baptismum renata Christina, DEI benedi-  
ctione feliciter crevit, providè educata à paren-  
tibus laudatis: Nec minus eadem beatum ex  
hâc vitâ discessum obtinuit, inserta ipsius Dei &  
tot myriadum Angelorum & hominum electo-  
rum optatissimo consortio; tamen deplorando  
casu, die 18. hujus Mensis Septembris confecta,  
occubuit: *Compertum enim est, ritè factò judicio*  
*Dn. Medici & Chirurgi, ictu globuli minoris non tan-*  
*tum rotundo vulnere Cranium Puellæ, cum insigni fra-*  
*cturâ, sed & ipsum Cerebrum graviter lasum.* Sed  
quicquid hujus est; optimè cum illâ, quæ in Deo  
vivit, habent omnia. Nostri erit officij, nostræq;  
humanitatis, Cives Academiae, frequentes adesse  
funeri hodierno, & sic dolere cum dolentibus.  
Discemus & hoc Exemplo, Deum nostrû revere-  
ri, seriò cogitantes, cuiquè accidere posse, quod  
cuiquam accidit. P.P. RostochI, sub Sigillo

Rektoratus, die 23. Septembris


Anni 1647.






















modum sibi & media præscribi, quibus  
sæ vitæ ergastulo te solvat. Liberè  
quicquid operatur, nec quærere tibi  
causæ illum moveat, & quamobrem te  
sicutur hanc viam eligat, illam ne  
tent Judicia Domini, latet hora & g  
tis, ut timeas eum omni loco & temp  
quem vitæ mortisq; potestas est. Cave  
videris admirandam præpotentis Dei  
nem, & vel pios piorumq; liberos luct  
speratâ morte oppressos audieris, ill  
fensi Numinis iram colligas, & vindice  
est advertentē in cōmissa peccata dex  
Vulgi judicium si hic poscemas, ni  
mabit, nisi ultionem, quam debuerit  
ctis enormibus. Itâ mundi progenies  
pè beatumq; prædicat & ad cœlos ev  
piam naturali morte extinctum, qu  
fortè inter infernales furias versari di  
um contrâ puniri ob iniquitates adm  
quem cœlestis pater citò & improv  
multumq; in terris crucietur, emigra  
apage insulsa ista & sinè discrimine c  
tiocinia! Adversum his est divini ver  
suis etiam exemplis confirmatum.  
cum nunciaretur, Pilatum Galilæor  
dam sanguinem hostiis admiscuisse,

A 3

